

1708.

1. Berlingius, Petrus a. M. : De conditione
palatina. 2 Grapht.

2. Poculusius, Gerardus Franciscus : De applicacione
juri et factum.

3. Kerkher, Henr. Sm. : De fatalibus seu proscriptione
instantiae

1709

1. Kerkher, Henr. Sm. : De jure Henrici in Melano
Brabantinus

2. Kerkher, Henr. Sm. : De arbitrio iudicis.

1710

1. Kahler, Johann : De requisitis ministeriorum ecclesiae

2. Kerkher, Henr. Sm. : De paucis quatuor dam iuris
Romani in Germaniam recipiens

3. Kerkher, Henr. Sm. : De jure rerum, causa anni 1709
7 vni.

1710

1. Kestner, Henr. Ernest: De iuris utili legum, doctrina,
et brocardorum allegatione

2. Zell, Jacobus Hermann: De fundi per usallum
alienati prescriptio contra dominum directionem
2 Sept. 1710 - 1746

1711

1. Kestner, Henr. Ernest: De potestate principis in
sabatis. Tract. 1711 - 1743.

2. Kestner, Henr. Ernest: De sacra legio politico

3. Kestner, Henr. Ernest: De iuris studiorum, ex com-
muni hereditate accessoriis, cassatione

4. Zellius, Hermannus: De preferentia statutorum
discrepantium.

1712.

1. Kestner, Henr. Ernest: De amore

2. Kestner, Henr. Ernest: De iuris studiorum legem

1712

3. Keschung Henr. Ernesti: De justitia bellic et pacis
seruissimis ... Hammie Landgravi Coroli I.

trunc

i

2



1. *Argyropelecus aculeatus* and *A. aculeatus*
2. *Argyropelecus aculeatus* and *A. aculeatus*

3. *Argyropelecus aculeatus*

4. *Argyropelecus aculeatus*


Aug. 1910 - 1916

1. *Argyropelecus aculeatus*

2. *Argyropelecus aculeatus* and *A. aculeatus*
3. *Argyropelecus aculeatus* and *A. aculeatus*

4. *Argyropelecus aculeatus*
5. *Argyropelecus aculeatus*


6. *Argyropelecus aculeatus*
7. *Argyropelecus aculeatus*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-474458-p0008-6

DFG



18
8
1710, 1.
P. 355

DISSERTATIO THEOLOGICA, DE REQVISITIS MINISTRORUM ECCLESIAE,

QVAM
PRÆSIDE
JOHANNE KAHLER,
S. S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Prim.
& Mathemat. Ordin.

Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit
M. JOH. CHRISTIANUS von Mithoffen/
S. S. Theol. C.
AUCTOR & RESPONDENS
Ad diem 2. Maj. A. O. R. M DCC X.
IN AUDITORIO MAJORI.



RINTELII,
Literis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Univ. Typog.



DISTATIO
THEOLOGICA
REVISITIS
MINISTRORUM
ECCLESIAE

JOHANNES KAHLER
22. Typus. 1742.
der Prediger des Evangelischen Kirchen
in Magdeburg 1742.

JOHN CHRISTIANUS ALEXANDER KAHLER

22. Typus C
Vicarius & Rektor der
Evangelischen Kirche
in Magdeburg 1742.

JOHN CHRISTIANUS ALEXANDER KAHLER

22. Typus D
Vicarius & Rektor der
Evangelischen Kirche
in Magdeburg 1742.

JOHN CHRISTIANUS ALEXANDER KAHLER

22. Typus E
Vicarius & Rektor der
Evangelischen Kirche
in Magdeburg 1742.

DE

MINISTRORUM ECCLE- SIÆ REQVISITIS.



Inisterium Ecclesiasti-
cum sicut merito ab omnibus,
qui de eō cogitant & loquuntur,
reverenter habendum est: Ita
quodque illi, qui se ad illud appli-
care gestiunt, non illotis, quod dicitur manibus tra-
ctent & accersant, sed cum timore & tremore officia
S. ambient, illis rite fungantur, & omnibus ac sin-
gulis ut Exemplar inculpatæ vitæ præluceant.
Quod ut eō felicius fiat, reqvista varia ex illis qvæ-
runtur, quorum qvædam considerare hâc Disser-
tatione animus est.

Nomen Sacerdotis à sanctificando deduxit August. in
P. CXLIV. Sacerdos autem est persona à Deo con-
stituta, habens mandatum docendi non humanam doctrinam,
sed

A 2

*Ministri
Ecclesia
vocantur
Sacerdotes.*

2

sed verbum Divinitus revelatum, & quidem Evangelium, item habens mandatum, ut ore pro se & aliis. Ita Georg. Major in Homil. Dom. 18. Trin. p. 534. Apud Iſraēlitās (quorum Ecclesia, & ipsa etiam Respubl. typus erat Ecclesia Christiana) sacerdotum Myſtæ & antifitites publici dicebantur, & verè ac proprie erant Sacerdotes. Inde propter quādam publica præfectura, & curæ Ecclesiasticæ similitudinem Patres in Ecclesia Christiana nomen Sacerdotum Pastoribus Ecclesiasticis indiderunt per Metaphoram. Eodem sensu Metaphorico Diaconi appellati sunt Levitæ, & Episcopi summi Sacerdotes. Præterea eramſi, quantum ad oblationes spirituales, qvicunqve fideles sumus Sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum, & hunc habeant communem honorem.

Matres atqve viri, pueri, innuptaqve puellæ.

Qvia tamen Pastores sunt Dispensatores mysteriorum Dei, & publicas pro cæteris precatio[n]es concipiunt, aliasq[ue] publici cultus partes ex officio obeunt, idcirco Pastoribus sive præsidentibus, ~~της προσώπων~~, Dispensatoribus mysteriorum Dei convenire potest per quādam excellentiam in sensu hoc spirituali appellatio Sacerdotum. Proprie autem & verè à verâ & propria Christi immolatione Sacerdos nemo dici potest, nisi ipse Dominus Jesus Christus Sacerdos perpetuus sec. ordinem Melchisdec, habens intransitivum Sacerdotium. Sacerdotes jam in Vet. Test. erant Doctores Ecclesiæ, & in ore illorum debebat esse lex & sapientia. Illos vero agnoscit Jobus cap. XII. v. 19. nullam sine Deo habere sapientiam, ita ut, qvando Deus eos privabat sua sapientia & auxiliū communicatione, sicut stulti de rebus sacris loquerentur, & docerent, & à veritate ad nugas atqve impias doctrinas delaberentur. Cujusmodi Exempla Jobus procul dubio multa noverat eo tempore, qvō totus mundus prope à vera Theologia veroq[ue] Deo defecit. Seb. Schmidius Comment. in Job. p. 526.

§. II.



§. II. Vocatio Ministri duplex est, interna una, externa altera. Interna consistit partim in Donorum necessariorum ad Sacrum ministerium collatione, partim in instinctu sive inclinatione dona illa ad Ecclesiae ædificationem collocandi. Quæ quidem vocatio ad *διαφάλειαν* Ministeriorum sacris operantium per se facit, aliis vero necessaria cognitu non est, nec nisi à posteriore innotescere potest. Functiones ordinariæ sunt (1) Pastorum. (2) Presbyterorum. Pastoribus contradistinctorum. (3) Diaconorum. *Pastores* sunt, qui partim ad instituendam, partim ad regendam Ecclesiam Christianam sunt vocati, & quibusdam doctrinæ & Sacramentorum ejus appendicum, tum disciplinæ administratio conjunctim commissa est. Ephes. IV, v. 11. 12. Hos vocat SS. promiscue ἐπιστόλες, προσεμένες, ἡγέμενες, παιένες. *Presbyteri* contradistincti Pastoribus sunt, qui non Ecclesia instituendæ, sed regendæ duntaxat vacant, nec doctrinæ vel ejusdem appendicum, sed Disciplinæ tantum cum Pastoribus administrandæ subsidiariò adhibentur, scandalis partim impediendis, partim detegendis, partim coercendis, & ordini Ecclesiastico procurando destinati. 1. Corinth. XII, v. 8. Rom. XII, v. 8. 1. Timoth. V, v. 17. Ex Pastorum & Presbyterorum horum, qui *diakonikos* Seniores vocari solent, collectione constituitur presbyterianum, vel cœtus ordini in Ecclesia servando, scandalis vel impediendis vel avertendis, censuris Ecclesiasticis stringendis, & iis omnibus, quæ ad ædificationem faciunt, promovendis, quæ vero ei intercedunt Ecclesiasticis mediis legitimis vel præcavendis vel amovendis vacans. Matth. VII, v. 16. 2. Tim. I, v. 6. *Diaconi* sunt ministri ærario sacro colligendo, constituendo, distribuendo, ac pauperum & infirmorum cura destinati, & ad munus illud ab Ecclesia vocati. Actor. VI, v. 2, 3. Qibus in Ecclesia primitiva accesserant Diaconisæ 1. Tim. V, v. 9.

*Interna
vocatio
Ministro-
rum que
sit?*

*Cur Levita
& sacerdo-
tes in divi-
sione Terra
S. nullam
partem ha-
buerint?*

*Efficacia
Ministerii
non depen-
det à digni-
tate Mini-
stri.*

§. III. Elogium Aarons & Sacerdotum non leve est, quod scilicet Deus in Divisione terræ sanctæ Ios. XV. facta, 12. tribubus, exceperit tribum Levi Sacerdotalem, nolueritque, eam habere partem in terra, qui ipsem volebat esse ejus pars & hæreditas, dando eis suas victimas, Decimas, oblationes, idque ad hoc, ut Levitæ & Sacerdotes toti suo cultui & ministerio vacarent, nec tam in terra quam in cœlo cum Deo & Angelis versarentur Num, XVIII. v. 20. Dupliciter autem Deus erat hæreditas Sacerdotum, & quia dabat illis, quæ populus ei offerebat, & quia volebat unicus esse eorum amor. *Audiani hæc Sacerdotes*, scribit Corn. à Lap. Comment. in Ecclesiasticum cap. 45., *multo magisque sibi, quam Aaroni & Aaronicis dicti patient à Deo.* *Tibi, O! Sacerdos*, Deus est hæreditas opima, ut quid terrenam, vilem & caducam ambis, ut quid terram Cœlo, solum soli, aurum Deo prefers? *Judaicum te ostendis Sacerdotem*, non Christianum, immo viliorem & deteriorem. *Judaicus enim nil in terra posidebat*, sum multa possides, & plura possidere cupis, agros agris, opes opibus, beneficia beneficiis insatiabiliter accumulas, quasi in eternum hic viviturus, quasi hic paradisum & beatitudinem habiturus. *Ubi est fides tua, ubi est spes tua, ubi cor tuum, ubi anima tua?* Utique in ære, non in cæthere.

§. IV. Virtus & efficacia ministerii Ecclesiastici nequaquam à persona ministri ejusve pietate vel impietate, aut alia ejus qualitate pendet. Incredulitas enim hominum veritatem & fidem Dei inanem reddere non potest Rom. III. v. 3. Sed ab ordinatione Dei pendet, qui organis & mediis à se institutis adest, & per ea vult esse efficax, quâcumque tandem ratione vite & morum comparata sit persona Ministri. Qvod D. Nazianz. venustissima similitudine expressit, dicens: Eandem apparere in cerâ figuram, sive aureo sive ferreo annulo facta sit. Sic Sacraenta Ministrium vel pietate vel impietate non mutari. Qvod autem ille de visibili verbo & Sacramentis scriptit, idem de audibili

ver-

verbo est sentiendum. Et in eandem sententiam recte scripsit Augustinus lib. 3, de Bapt. contra Don. cap. 10. *Quemadmodum sol, cum per cuncta loca diffundat radios, nihil contrahit sordium: Sic præstantiam ministerii verbi & Sacramentorum hominum impietate non sordidari.* Et Tom. 7. de Unit. Eccl. cap. 18, inquit: *Petri & Iuda unum baptisma fuisse. Nam si Sacrificiis in lege Mosaicâ sua constabat veritas, etiam si Sacerdotes impuri & impii essent, quomodo ministerit Evangelici efficacia & præstantia derogabit Predicatoris improbitas aut malitia?* Hinc Christus quoque doctrinam legis ex Ore Pharisaorum audiendam docet Matth. XXIII, 3., quamdiu in Cathedra Moysi sedebant. i. e. legem Moysis sonabant. Quid? quod si dignitas Ministerii penderet ab autoritate Ministri, multa segerentur absurdia. Nemo enim de veritate Ministerii & sui baptismi posset esse certus, cum multi ex ministris sint hypocritæ, nonnulli etiam clam scelerati. Unus etiam Ministerium & Sacraenta meliora & efficaciora haberet, quam alter. Nam qui innocentissimi ministri ministerio uteretur, perfectius Sacramentum acciperet, quam qui a mediocri non perinde sancto Sacramentum accepisset, imo sanctissimorum etiam hominum ministerium suspectum esset futurum, cum & illi aliquando in gravissima peccata prolabantur.

§. V. Cum vero Sacerdotium non sit otium, sed negotiorum negotium, uti scribit Bernhardus, & Episcopatus nomen est operis, non honoris, juxta Aug. l. 19. de C. D. c. 19. Ideo Officium Ministrorum est (1) *Verbi Prædicatio*, quod probant expressa mandata Apostolis & ipsorum in ministerio successoribus data Matth. XXVIII. v. 19. Marc. XVI. v. 15. Id requirit finis instituti ministerii, siquidem eo cum primis fine Deus instituit, & adhuc conservat Ministerium, ut verbum prædicetur, ac per prædicationem verbi Ecclesia ex genere humano colligatur. Ephes. IV. v. 12. (2.) *Sacramentorum dispensatio*. Circa quam vero observet,

Officium
Ministro-
rum Eccle-
sie

ne indignos ad eorum participationem admittat Matth. VII,
v. 6. Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas pro-
ficite porcis. Item ut in dispensatione Sacramentorum in-
stitutionem Christi & praxim Apostolorum diligenter ob-
servet & rejectis inutilibus & superfluis ceremoniis, qvam
potest fieri, simplicissime juxta regulam modò traditam ea ad-
ministret. (3.) *Pro commissione grege precatio Jac. V, 16.* *euχεὶς*
τοῖς ἀληθαῖς. Exemplum habemus Christi Joh. XVII,
v. 20. Mosis, Samuelis, Prophetarum & Apostolorum.
(4.) *Vita & morum honesta gubernatio.* Notum est cursui do-
ctrinae ecclesiæ & fructificationi verbi non mediocrem remo-
ram atque impedimentum objici per ministrorum impro-
bitatem. Docendi autoritas perditur, qvando vox opere
non adjuvatur. (5.) *Disciplina Ecclesiastica administratio.*
Quemadmodum in ordine Politico & Oeconomico; ita
quoque in Ecclesiastico requiritur certa disciplina, absque
qvâ, ut illuc subdit ac Domestici, ita hîc auditores in officio
contineri nequeunt. Qvaritur h. l. an licet ministris Ec-
clesia Magistratum peccantem publice arguere? In genera-
officium Elenchiticum Ecclesiae ministris prohiberi nequit,
alias puritas verbi, & multarum animarum salus præsentis-
simò periculô exponitur. Disputatio enim est cribrum
veritatis, id qvod probe norunt Turcæ, qui ne pellueant
errores, de Alcorano & religione sua Mahometica Disputa-
tiones prohibent. Qvam facilis etiam lapsus sit in erro-
neam fidem, nisi per officium Elenchiticum aurum à scoriis
separetur, testis temporum edisferit Historia, præsertim si
lupus fingat vocem matris ovium, & iisdem cum orthodoxis
verbis & phrasibus, sensu tamen diversissimo utatur. Ca-
lumnias tamen, cum qvis alienam sententiam adversarij
affingit, & Sarcasmos vel sales mordaces & hos qvidem in
Ecclesiis pressis excipimus. Sed qvod speciatim correptionem
Magistratus attinet, multi sunt, qui hoc ferre nō possunt,
vocant crimen læsa Majestatis & seditionem, qvâ subdit ad

COR.

contemptum Magistratus commoventur. Sed cogitandum est, etiam Magistratum esse ex hominibus sumtum, qvi labi, errare, decipi que possunt, vicissim non sunt homines, qvi in ministerio cum ipsis agunt, sed Spiritus S. est, arguere mundum de peccato Joh. XVI, 8. qui per os Ministrorum in mundo contemptorum agit cum aliis. Major enim est Majestas Spiritus S., quam potentissimorum Regum ac Principum. Crimen ergo laesa Majestatis committunt, qvi nihil durius in Magistratum, sed merè placentia audire volunt. Fidelis ergo Minister Ecclesiae Magistratui etiam, qvi bona pars Ecclesiae est, hoc in genere, si opus fuerit, parcere non potest. Tendat autem haec correptio non in Magistratum quatenus talem, ita enim in ipsam Dei ordinationem tenderet, quam nemo hominum conyellere, aut in contemptum apud alios ducere debet, sed in via Magistratus, quam sèpenumero in hoc ordine hominum magis sunt enormia, quam in aliis, juxta verificulum

Omne animi vitium tanto conspicuum in se

Crimen habet, quantum major, qvi peccat, habetur.

Prostat partim mandatum generale, quo Ministri Ecclesiae absque ullo personarum discrimine jubentur peccata redargere Ex. L VIII, 1. 1. Tim. V, 20. Nusquam vero additur illa limitatio, qvod privatorum quidem delicta arguenda sint, non autem Magistratus. Partim mandatum speciale, quo Magistratum etiam arguere jubentur Ecclesiae Ministri. Exod. VI, 11. dicit Deus ad Mosen: Ingredere & loquere ad Pharaonem Regem Ægypti, ut dimittat filios Israël. Jer. XIII, 18. Dic Regi & Dominatrici: Humiliamini, sedete in terra. Ezech. XXXI, 1. 2. Factum est verbum Domini ad me, dicens. Fili hominis, dic Regi Ægypti & populo ejus. Quamvis enim personæ & res Ministrorum certo modo subfint Magistratui, illorum tamen officium non agnoscit ullum alium Dominum, quam solum Christum, pro colegatione funguntur. Ergo qvod doctrinam & ministerium arguendi attinet, illius respectu non Magistratui, sed soli Deo se subesse noverint.

B

Luth.



Luth. tom. 6. Jen. Germ. fol. 384. Das Predigamt ist nicht ein Hoff-Diener / oder Bauren Knecht / sondern es ist Gottes Diener und Knecht / und sein Befehl geht über Herz und Knecht.

(6.) *Rituum Ecclesiasticorum conservatio.* Institutio illorum rituum non pertinet ad solos Ecclesia Ministros, sed simul ad Magistratum Christianum, ac totius Ecclesiae consensu fieri debet , interim tamen Ministris recte tribuitur eorum conservatio, ne scil. privato arbitrio titus publica Ecclesiae autoritate receptos mutent vel abrogent, sed tuenda concordia, & promovenda iusta causa eos conservent.

(7.) *Pauperum cura & agrotorum visitatio.* Qvamvis in primitiva Ecclesia diaconia à Ministerio verbi fuerit distincta, ac certis qvibusdam personis commissa, qvæ ex eo dicebantur Diaconi Act. VI, 5., tamen non debent propterea Ecclesiae Ministri judicare, pauperum curam ad se nihil pertinere, sed tum crebra ad beneficentiam erga pauperes exercendam auditorum suorum exhortatione, tum hospitalitatis & beneficentiae exemplo, tum exararii Ecclesiastici inspectione pauperum usibus subveniant. Agrotorum visitatio eo nomine Ecclesiae Ministro debet esse commendata, qvod illi vel maxime Evangelica consolatione erigendi, & contra mortis terrorem instruendi sint.

§. VI. Ministrorum Ecclesiae opera Deus Ecclesiam in terris adhuc colligit, fundat, conservat, suntque *Senatus Ecclesiae*, cuius constitutio 1. Cor. XII, 28. Eph. IV, 11, refertur. Dividuntur in *extraordinarios*, qvales erant Apostoli, & *Ordinarios*, qvales sunt hodierni Pastores omnes, qvotquot legitimate ad docendum verbum Dei & ad conferenda Sacra menta sunt ordinati. Agmen ministrorum Ecclesiae ducunt Apostoli, per qyos Ecclesia primitus è toto orbe est collecta , dicti propterea Ecclesiae 12. fundamenta Apoc. XXI, 14. His Apostolorum *avieq[ue]* v.g. Timotheus, Titus, Barnabas, Clemens Rom. aliquique viri Apostolici, Evangelistæ *juxta*

Juxta & Prophetæ, qvorum in initio Nov. Test. non pauciores qvā in Vet. Test. (hos inter Agabus Act. XI, 28.) & denique Patres atqve Doctores Ecclesiæ, qviqve hodie dicuntur Pastores Ecclesiarum in SS, dicti Presbyteri & Episcopi sunt connumerandi. Magna verò inter hos & Apostolos differentia intercedit. Apostoli à Filio Dei Deiqve Spiritu immediate edocti θεοδιδασκοὶ οὐκ θεόπνευστοι nulli certæ Ecclesiæ erant adstricti, hodieqve desierunt, qvæ de reliquis Ecclesiæ ministris eorumqve ordine dici non possunt. Arduum cumpromis est, & cum præsenti salutis periculo conjunctum munus docendi in Ecclesia, cùm Deus impii languinem de Pastoris manibus velit requirere Ezech. XXXIII, 8. Nec sine causa Chrysost. dixit: *Miror, si quis ex Reectoribus Ecclesiæ salveritur.* Boni ergo Pastoris reqvista spectemus. Primum est bene docere. Multum addocendum volubilitas linguae, & sapientia ex Postillis hausta videtur sufficere, sed male. Apostolus 2. Tim. II, 15, & Tit. I, 9. à Doctore Ecclesiæ reqvirit, ut ipse possit (1.) ἐξθονμένος λόγος τῆς ἀληθείας, recte & methodice verbum Dei partiiri, cum confusa doctrina sit illas malorum. (2.) Ut sic διδάσκων h. e., ut dogmata fidei legitimè probet, ac habitu auditorum ratione prudenter confirmet. (3.) Ut possit τὰς αντιλέγουτας ἐλέγχειν, fidem contra acutos Hæreticos aliosqve Sectarios defendere, qvod postremum non tam à qvovis Catecheta vel simplici Ecclesiaste, qvā ab Academicis Dd. hodie reqviritur. Disputare enim non tam ad suggestum, qvam Academiarum cathedram spectat. Secundum reqvistum est, *bene vivere.* Neque enim verbis solum pie-tatis studium urgeat, sed opere ipso sic vivat, ut sit Exemplum gregis. 1. Pet. V, 3. us suō modo cum Christo: Qvis ex vobis me de peccato arguet? vel cum Ambrosio dicat: Non sic vixi, ut vivere me pudeat. Tertium reqvistum disciplinam concernit. Operam enim dare tenetur, ut in-

Boni Pafte-
ris requi-
stata.

Ecclesia omnia ἐνοχημόνως agantur. Hinc citra περοσώ-
πληγίαν, gradibus tamen admonitionum observatis, im-
pios corrigere, & si qui emendari nolint, ab Ecclesia vi
clavis ligantis abscondere, & quemadmodum penitentes
absolvere, sic impenitentes pro delicti ratione excommuni-
care tenetur. Qvisquis ita partes officii impleverit, huic,
quamvis in terra exigua sint præmia, merces in Cœlo erit
copiosior, Scholasticis Aureola dicta. Ecclesiæ enim Do-
ctores fulgebunt ut splendor firmamenti Dan. XII. Hinc
Apostoli solatium corona justitiae sibi in Cœlo reposita 2.
Tim. IV, 8.

*Ad validi-
tatem Mini-
sterii re-
quiritur vo-
catio.*

*Ad voca-
tionem o-
mnia Ec-
clesia mem-
bra con-
currere
debent.*

§. VII. Ad Ministerium reqviritur *vocatio legitima*. Clara sunt dicta Hebr. V, 4. Nemo sibi ipsi honorem sumit, sed qui vocatus à Deo sicut Aaron, Joh. III, 27. Non potest homo quicquam sibi sumere, nisi datum ipsi fuerit de Cœlo. Rom. X, 15. Quomodo, prædicabunt, nisi mittantur? scil. ut falsi Prophetæ, qui currunt, nec mittuntur, ideoque audiendi non sunt. Jer. XXIII, 21. c. XXVII, 14. Non verò ab uno tantum Statu Ecclesiæ dependet vocatio, uti Papistæ ad solum Clerum, Pseudo-Politici ad solum Magistratum, Anabaptistæ ad promiscuam multitudinem illis exclusis vocationem per-
tinere dicunt, sed justo ordine omnium ad Ecclesiam illam pertinentium suffragio & consensu libero ministeria consti-
tuuntur. Ita enim Matthias Apostolus Act. I, 23. Diaconi
Act. VI, 5. Presbyteri Act. XIV, 23. Tit. I, 5. 2. Tim. II, 2.
vocati, electi, constituti sunt. Ita omnia sunt totius Ecclesiæ
1. Cor. III, 21. Ita primitiva & subseqvens vera Ecclesia con-
fuerit vocare, eligere. Cypr. lib. I. Ep. 4. Theod. lib. 4. Hist.
Eccl. c. 10. Nizeph. lib. II. Hist. c. 26. Socrat. lib. 4. c. 25. Libera
verò reqviruntur suffragia, non favore vel pretio emta.
Patrum una vox est: *Praesint digni, probati, honoremque non
pretio, sed virtutis adepti testimonio.* Tertull. Apol. c. 39. Ne-
que quicquam tam impium tamq; celestum est, sacrilegum
ma-

magis, & ad similitudinem Simonis Magi magis accedens,
quam, licet non intervenientibus aliis criminibus, Episcopi,
Presbyteri &c. Officium terreno pretio velle mercari.

§. VIII. Præter vocationem in Ministris Ecclesiæ con-
sideranda est eorum *Ordinatio*, qvæ tamen non à Christo
instituta, sed ab Apostolis ut Ceremonia utilis & pia intro-
ducta, & conseqventer non de Jure Divino est necessaria.
Per Ordinationem autem Vocatio solenniter declaratur, &
persona vocata per preces & manuum impositionem ad
Ministerium in Ecclesia obeundum consecratur, & de legi-
tima vocatione certior redditur, & in conspectu Ecclesiæ
Officii graviter admonetur. *Dicitur autem, qvod Ordinatio*
à Christo non sit instituta, & conseqventer non de Jure Divino
necessaria. Nam in SS. nullum habetur mandatum de ex-
tero Ordinationis ritu in ministrorum consecratione adhi-
bendo. Qvod autem in SS. non est mandatum, de Jure
Divino non est necessarium. Nec etiam legitur de Aposto-
lis, qvod consecrati fuerint externo ordinationis ritu per
impositionem manuum à Christo. *De Paulo* quidem *res*
videtur quodammodo dubia esse, huic enim manus imposuit
statim post conversionem suam Ananias Act. IX, 17. Deinde
cum ad prædicandum Evangelium cum Barnaba mitteretur
Act. XIII, 3. Sed & Paulus ipse Gal. I, 1. testatur, se non ab
hominibus constitutum esse Apostolum, nec per hominem,
sed unicè per Jesum Christum. Qvo ipso significat, ad sui
in Ministerio constitutionem nihil contulisse hominum Mi-
nisterium. Qvod autem Ananias Paulo manus imposuerit,
illa impositio manuum non facta est ad Apostolatum vel
Ministerium in Ecclesia obeundum, qvia facta est ante Ba-
ptismum, ante hoc autem Sacramentum nemo consecratus
fuit ad Ministerium Ecclesiæ. Fuit igitur hæc impositio
manuum facta ad visum recipiendum. Solebant enim in-
primitiva Ecclesia imponere manus alicui, ut testarentur hæc
ceremonia, se pro illâ persona, cui imponebantur manus,

*Ordinatio
de Jure
Divino
non est ne-
cessaria.*

ora.

orare. Similiter Act. XIII. Paulus non fuit ad Apostolatum ordinatus manuum impositione. Nam annos 14. integros functus jam erat Apostolatu. Unde nihil causæ erat, cur illo demum tempore, quo cum Barnaba ad Gentes mittebatur, ordinaretur. Unde hæc manuum impositionis nihil aliud fuit, quam Cerimonia in primitiva Ecclesia recepta, quæ cum precibus conjungi solebat, quando in re ardua Spiritus S. gratia & assistentia implorabatur. Indeque quia Paulus & Barnabas segregati erant à Spiritu S. ad prædicandum Evangelium inter Gentes in locis remotissimis, quod opus erat arduum ac difficile, ideo Ecclesiæ Doctores deinde super Paulo & Barnabæ orarunt, & cum precibus conjunxerunt manuum impositionem, quo ritu ad Ministerium hoc inter Gentes obeundum sunt ordinati.

*Clerici
Magistra-
tui Civili
subjecti
sunt.*

§. IX. Ministri Ecclesiæ utique subjecti sunt *Censura Seculari*. Contrarium quidem elucescere videtur Matth. XVII, 26. Ast Christus non id intendit, ac si Clericos, aut totum cœtum fidelium suâ prætensione ab oneribus Civilibus voluerit esse exemptos. Cur alias Paulus tam serio inculcasset conversis suis Romanis: Reddite omnibus, quod debetis, tributum, cui tributum, vœtigal, cui vœtigal Rom XIII, 7. Sed ut ostenderet, se pro autoritate sua Divina, quod naturâ esset Dominus & Rex omnium mundanorum Principum, ipso jure quidem liberum esse ab omni penititatione tributi, nolle tamen in scandalum aliorum jure suo uti, sed cedere, & æqualia aut majora pendere, quam alii Capernaitæ solerent. Hoc ipso suo Exemplo alias admonens, se quoque paratos esse debere dare Magistratui, quæ sua sint, & si res ita postulet, de jure suo etiam aliquid remittere.

§. X. Cum primarium Ministrorum Ecclesiæ officium consistat in *predicatione verbi Divini*, in eâ non prolixæ sed breves esse debent. Potissimum enim cultus Divini partem constituent preces, hymni, lectio SS., gratiarum actiones, &



& si quid præterea est hujus generis, his quasi appendix loco in Veteri Ecclesia accesserunt paræneses ad populum, sed breves, qvæ intra horam, imò dimidiæ horæ spatio finirentur, ut sunt pleræque Patrum Græcorum & Latinorum Homiliae, qvas hodie superstites habemus, qvorum aliqui summâ eloquentiâ laude floruerunt, imò ipsam professi fuerunt. Dicere Basilius M. ostendit, suo ævo ultra horam non durasse has Orationes. Nam sermonem in Psal. XIV. cum absolvere non potuisset, postridie ea, qvæ restabant, novâ Oratione complexus est, ejusqve hanc causam subjunxit: *Hæsternâ die, inquit, super Psal. XIV. sermonem apud vos habuimus, quem sub hora spatio permisisti non sumus absolvere. Nunc autem ut certi Debidores, reliqua, qua restabant, libenter exsoluturi venimus.* Gregorii M., Leonis M. homiliae intra horæ dimidium facile finiuntur. Rationem ejus brevitatis pulcherrimam suppeditat Patrum Græcorum politissimus & eloquentiæ arte præcipue clarus Gregor. Nazianzenus Orat. 40. in S. Bapt. Init. Sermonis satietas est auribus inimica, non aliter atque cibus innumeratus & nimis noxius corpori. Imò hoc in more fuit positum Patribus, ut in medio cursu, cum permotis sua oratione auditores vel è lacrymis vel ex plausibus eorum cognoscerent, illam abrumperent. De qvibus aliisque præterea ritibus copiosè egit Franciscus Bernardinus Ferrarius singulari libro de ritu sacrarum Ecclesiæ Concionum. Videri idem potest de Veterum acclamationibus & plausu lib. 5., qvo agit de Acclamationibus Ecclesiasticis, & Hildebrandus quoqve de veterum concionibus c. 3. §. 12. Omnino itaque valet hic Arabum adagium: *Bonitas Orationis in brevitate, & illud Pindari: Βαρδὸν δὲ τὸ μακρὺ τὸ ποικίλευν ἀκοὰ οὐ φοῖς.* Pauca in prolixis vario artificio sermonis edifferere auditu sapientibus grata. Videndum porro, *urum stando an sedendo concionati sint?* Communiter pro Concione stetisse videntur. Hinc Augustinus: *Nostris, inquit, fratre, qvia ad panem ventris*

*Paræneses
ad popu-
lum in Vet.
Eccles. non
durarunt
ultra horæ
spatiuum.*

*Num
stanto, an
vero seden-
do Veteres
concionati
ent?*

eum labore pervenitur, quanto magis ad panem mentis cum labore statis & audiis, sed nos majore stamus & loquimur. Tract. 19. in Job. Non possum non h. l. laudare insigne Devotionis Exemplum Constantini M., qui occasionem nactus de Theologia loqvendi erecto corpore consistens contraetoque vultu, & depressa voce, adhibitâ summa prudentia & moderatione præsentium animos cœlesti Disciplinâ initia-re & devovere videbatur, teste Eusebio lib. 4. de Vita ejus cap. 19. Nonnunquam pro concione sedisse animadvertisimus. Testatur hoc suo Exemplo August. *Ut ergo vos, in-* quivit, *non diu detineam, præsertim quia ego sedens loquor, vos* stando laboratis. Serm. 19. de diversis. Ambrosius suo ævo moris esse ait, ut Seniores in Cathedris sedentes disputent, in i. Cor. XIV. Itaque nunc steterunt, nunc pro concione federunt, præsertim si senex esset Homiletæ, cui per ætatem stare incommodum erat.

*Vitent Mi-
nistri lu-
xum & de-
licios.*

§. XI. *Vitent Ministri luxum & delicias.* Dicit Christus: Operarium esse dignum alimentis sive cibo, non deliciis aut lauitiis. Recte Theophil. ait: *Dixit autem (Christus) cibo, non luxu, neque enim delicari oportet Doctorem.* Qvomodo mens sacris exercitiis rite vacare poterit, quando corpus lauto nimioqve cibo saginatur? Qvomodo mysta sacri munieris partibus dextre fungetur, quando genio crebrius indulget, seqve ingurgitat. Vim suam plerumqve amittit doctrina, quando delicias admittit Doctor. Non sine causa Apostolus Episcopum non vinosum esse jubet Tit. I, v. 7. Haud desunt, proh dolor! nostra hac ætate tales verbi Ministri, qui habent quidem τὰς διατροφὰς καὶ σκεπσμάτα, alimenta & tegumenta, sed iis non sunt contenti, contra monitum Pauli 1. Tim. VI, 8. Ex Ministerio sacro ditescere & thesauros accumulare satagunt, ad eum modum, quo in Papatu Patrimonium Petri congestum est & auctum. Quid imò non pauci eorum sæpe, etiam interdiu, jacent vino somnoqve sepulti. Scil. isti egregiè excubant pro animabus auditorum, tanquam rationem reddituri Hebr. XIII, 17.

§. XII.



§. XII. Hinc queritur, an interesse Pastor posse Convivium? *q. b.* Videre debet, quid locus, tempus, & alia circumstantiae moneant. In conviviali autem spectentur haec: Locus, tempus, convivii genus, convivæ, colloquia, edendi bibendique modus, hilaritatis moderatio, & morandi tempus. Ad haec membra referamus precepta de Disciplina Pastoris, quam servandam esse in conviviis iudicamus. Locus convivii si fuerit obscurus, aut infamis, fugiendus est Pastor. Nullo enim pacto decet, ut Pastor in tabernis, aut lupanaribus, aut in hominum infamum domo convivam agat. Nam hac ratione non solum sua persona, verum etiam Ministerio inureret infamiae notam, ac ita suam famam periclitari permetteret, & Ministerium probro afficeret. Tempus convivii sit oportunum, quod nec noctu sit, nec tempore sacrorum in templis, nec tempore communis luctus. Conviviorum genera sunt duo, honesta & inhonestata. Hilaritatis honesta causa instituta convivia non improbantur, sed inter honesta numero, quæ potissimum exhibere solent homines, post aliquem laborem honeste peractum. Idque potissimum reficiendarum virium causa per honestam & moderatam hilaritatem. Considerandum verò, quomodo Pastor in convivio, cui per conscientiam interesse potest, se se gerere debeat. Atque initio in convivio, cui interest, non exhibebit se nimis morosum, multo minus insidabatur singulorum Convivarum ori, quod inveneriat segetem in eos debacchandi aut pro suggeſtu, aut apud plebeculam, sed cum aliis honesto gaudio, & quidem in Domino, animum relaxabit. Præterea, ut alia omittam, à piis in conviviis observanda speciatim tria videntur curanda esse Pastoribus. (1.) Ut avertant suā præfentia omnem non minus ἀταξίαν quādīσταν, libere simul arguendo illos, qui hac in parte delinqunt. (2.) Cum ipsorum sit, cibo benedicere, eoque sumto, Deo gratias agere, utantur tam Emphaticā formulā, quæ afficiat omnes accumbentes.

C

(3.)

An Mini-
ster E: ele-
sia posse
interesse
convivis?

(3.) Occasione ciborum terrenorum, quos Deus largitur, occasionem captent differendi de rebus spiritualibus, mysteriisque Theologiae, sic tamen, ut sermones suos simul sale & gratia condiant. Col.IV, 6.

*An ad obe-
undum
Ministerium
Ecclesiastici
cum requi-
ratur cer-
tus anno-
rum nume-
rum?*

*An vivo
adhuc Pa-
store alius
expectati-
vam petere
possit?*

§. XIII. Qv. *An certus & determinatus numerus annorum vita requiratur in iis, qui Ministerio Ecclesiae initiandi?* Ex Jure Divino constat Num. IV, 3. Anno etatis 30mo Levitici generis Sacerdotes ad publica ministeria demum fuisse admissos. Et Christus, cum per Baptismatis susceptionem ministerio inauguraretur, incipiebat esse annorum ferè 30. Luc.III, 23. Eadem fuit ætas Iohannis Baptistæ. De Jure Justinianæ 35. annos oportuit eum habere, qui eligendus erat Episcopus aut Presbyter. Postmodum verò etiam ad 30. annos restrictum est futuri Ecclesiae ministri munus. Sanè semper melius & Ecclesiae magis prospectum esse dici potest, si non præpropere nimis crudos homines in Cathedram propellantur, & mustæ vitæ & morum adolescentes munis Ecclesiae præficiantur. Placet Saxonica Electoralis Ordinatio fol. 90. Dass kleiner zu jung aufgestellt werden soll. Neque obstat Exemplum Timothei, ad quem scribit Apostolus 1. Tim. IV, 12. Nemo adolescentiam tuam contemnat. Qvòd excellentia ingenia, & dona in prima statim ætate se prodentibus exornata, etiam ad functiones Ecclesiae citius aliis ordinari possint, nemo negabit, sed ideo ab uno vel altero Exemplo generalem constituere regulam, & omnes reuisiones promovere non decet.

§. XIV. Sed nec illi recto pede incedunt, qui non vacante loco vivis adhuc Pastoribus expectativas ad Parochias certas à Principibus, vel aliis, qvorum interest, imprestant. Nam ejusmodi præbenda vel officia viventibus adhuc possessoribus & parochis neque promitti & dari, neque etiam recte & honeste peti possunt ac debent. Certè Gelasius Papa ex Concilio Lateranensi ejusmodi promissiones, & con-

& concessiones Ministeriorum Ecclesiae sive beneficiorum vel Ecclesiarum nondum vacantium diserte prohibet Tit. 8. cap. Nulla Ecclesiastica. Verba Capituli adscribemus: *Nulla Ecclesiastica Ministeria sive etiam beneficia Ecclesia vel tribuantur alicui, vel promittantur, antequam vacent, ne quis desiderare mortem proximi videatur, in cuius locum sive beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitus, turpe est, & Divini plenum animadversio judicii, si locum in Ecclesia Dei futura successio nis exspectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles damnare curarunt &c.* Qyamvis vero nos istiusmodi Pontificum Decretis non teneamur, rationes tamen evidentes & graves sunt, ob qvas istiusmodi dictas exspectativas ad officia Ecclesiae nondum vacantia improbamus. Nam si lex naturae vetat, ne quis alteri faciat, qvod sibi fieri nolit, profecto haud exqui est petere, & extorquere promissionem, qvō alias adhuc vivens recte fungitur. Qvis enim alias officium exspectare & mortem sperare cupiat? Notum est illud Cato-nis Ethnici:

In mortem alterius spem tu tibi ponere noli.

§. XV. Licet verò Ministris Ecclesia esse uxoratos, qvia Apostolis licuit 1. Corinth. IX, 5. licuit circumducere forores uxores. Excipiunt Pontificii I. non constare, qvi nam ex Apostolis uxorati fuerint. R. (1.) nec hoc qværi, qvinam ex illis uxorati fuerint, sufficit, hinc constare, aliquos fuisse tales: (2.) Constat de Petro & Jacobo. Excip. II. Habuisse eos uxores ante Apostolatum, posteà verò easdem deseruisse, Matth. XIX, 27. R. (1.) Atqvi hic agitur de Jure Apostolorum qvatalium, cùm munere Apostolico defungentur. (2.) Qvod dicuntur deseruisse uxores, illud ad tempus factum. Nam rediisse ad eas ex Exemplo Petri liquet, cujus Domum Christus ingressus est, postqvam Apostolus factus esset, ibique socrum ejus sanavit. Excip. III. non loqui Apostolum de uxoribus, sed de piis sc̄minis, qvæ

*Ministris
Ecclesia li-
cer habere
uxoras*

C 2

Apo.

Apostolos seqvebantur, sicuti Christum seqvebantur, quæ cum alerent, ipsique ministrarent. **3.** (1.) Apostolus dicit sororem uxorem, non sororem mulierem. (2.) Potestas ius significat, qyod maritus habet in uxorem, atqvi tale ius Apostoli non habebant in divites fœminas. (3.) Fœminas tales circumducere, desertis uxoribus, non potuisse fieri vel sine aliorum obloqvio, vel etiam sine propriarum uxorum Zelo. (4.) Paulus & Barnabas noluerunt circumducere uxores, ne scil. graves essent Ecclesiis. At verò tales ditiores fœminæ levamini fuissent Ecclesiis. (5.) Paulus sustentatus non fuit ab ejusmodi mulieribus, sed labore manuum suarum viitavit A&t. XX, 34. & qvod deerat, supplererunt fratres 2. Cor. XI, 9. (6.) Christum seqvebantur mulieres, sed non semper, alioqvi non mirati fuissent Apostoli, qyod cum muliere loqueretur. Excip. Pontificii: Conjugium repugnare Ministerio Ecclesiæ, qvia Moses remiserat uxorem suam Jethroni. **4.** Remiserat ad tempus, donec legatione ad Pharaonem & eductione populi defunctus esset. Hinc Jethro eam ad Mosen hoc capite reduxit, ut y. seqq. videare est. Plura de Ministeriorum verbi Conjugio vid. apud Frid. Balduin, in Cas. Conf. lib. 4, c. 13. Casu 2.

*Ex G. neua
Ministros
Ecclesia
ernas.*

§. XVI. *Audacia insignis virtus est Ministerii.*
Qvare cum Christus suos Discipulos primum ablegaret in Iudeam Evangelii prædicandi gratia, vetus ipsos qvicquam propterea accipere, qvos tamen sine pera, sine Zonis pecuniferis, sine auro & argento ablegaverat. Prohibet qvicquam tollere vel peram, vel æs vel panem, docens per hac αφιλοχείμαντι τετω, illos à divitiarum studio esse debere alienos, & ut hi, qvi ipsos visuri essent, bene affice. rentur erga eos tanquam possessionum contemptum docentes, ex eo, qvod ipsi nihil habeant. Theophil. ad Marc. VI, 8. *Jussit præterea in ædibus, in quas semel divertiscent, manere, donec*



donec opus suum perfecerint, nec statim in commodiores
excurrere, ne viderentur lucri gratia commodiores sedes
qværere Matth. X, 11. Hæc verò non eò intelligenda sunt,
qvasi non licet beneficiis ab auditorio oblatis frui, qvando-
qvidem mercede sua dignus est operarius. Confirmatur
Marc. I, 44. dum Christus jubet leprosum à se se mundatum
apire ad sacerdotem, ut se isti sisfat explorandum, & offerat
consuetum donarium. Jubet ingredientes domum pacem
apprecari habitatoribus, ut ex benevolo affectu hōc ad capes-
fendam doctrinam invitentur Luc. X, 5. Qvō igitur fine?
ut avaritiam caverent, Matth. X, 8. Gratis accepisti gratis
date, ait Apostolis suis Christus. Qvia semper dona spiri-
tualia (si merces media sit) viliora fiunt, adjungitur avari-
tiae condemnatio, ait Hieron, ad l. c. Videntur eqvidem
Apostoli paupertati studuisse. Omnia enim reliquerunt.
Sed istud intelligendum est de usu, non de ipso Dominio
rerum deserto. Petrus enim suam retinuit domum Caper-
naumi, ad qvam subinde revertebatur, ubi & didrachmam
tanquam civis sol vebat Matth. XVII, 27. Idem post resurre-
ctionem Christi rediit ad usum quoque vasorum suorum,
naviculam & retia Joh. XXI, 3. Tale qvid contigit etiam
cum Mattheo. Nam Matth. IX, 10. in ædibus Matthei
Christus epulis accumbit. Unde cām Luc. V, 28. refertur,
omnia reliquise, de affectu id intelligendum est, non de o-
mnium propriorum abdicatione. Hoc verò intelligendum
est de verbo & miraculis, qvod ea non sint dividenda pe-
cuniâ. Laborem verò in istis expediendis insumtum, non
esse pensandum, id non dicit. cūm sua mercede Operarius
dignus sit. Mulieres religiosæ Christum Magistrum secutæ,
de facultatibus suis ex more ipsi ministrabant Luc. VIII, 3.
& Christus ipse suis Discipulis de necessariis prospexit. Luc.
XXII, 35. de praterito missionis tempore loquens, inter-
rogat, numqvid necessariorum sive in viœtu, sive in amictu
ipsis, et si sine pera, sine crumena, sine calceamentis missis,

de-

defuerit? Respondebant ipsi: Nihil. Imò ipsi sibi de necessariis vitæ prospiciebant, operam dantes pescaturæ. Joh. XXI, 2, seqq.

An Clericus possit esse negotiator?

s. XVII. Non sint turpe lucrum sectantes 1. Tim. III, 3. Graece: μὴ αἰχματεροῦς. Turpis lucri sectator est, inquit Theodoretus, non, qui, ut nonnulli existimarent, parva lucra appetit, sed qui ex rebus turpibus, & valde dishonestis quæstum facere in animum inducit. Unde Gregorius: *Nos sacculum Ecclesia ex turpibus lucris nolumus inquinari.* Licet autem aliqua negotiatio aliis licita sit, illicita tamen redditur saepe ob circumstantiam personarum, lucrum sibi prohibitum, atque adeo turpe sectantium, quales sunt Clerici & religiosi. Unde Hieronymus: *Negotiatorem, inquit, Clericum, ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quæquam pestem fuge.* Hinc ob indecentiam graves in iure pœnae ponuntur Clericis negotiatoribus. De negotiatione illicita intelligendum est illud Psal. LXX, 7. Non cognovi literaturam sive numerum, (ut est in fonte) Ubi per literaturam sive numerum πειρατίας i. e. negotiationes intelligunt multi, sequentes LXX. interpres, inter quos est Hieron. August. Cassiodorus, Glossa Ord. & interlin., ut sit sensus: *Quoniam non cognovi negotiationes, cum mihi auxilio opus fuerit, ad Dei potentiam confugiam, & illius justitia, quam novi, recordabor.* Valde abhorruit Chrysost. ab omnium tumultu negotiorum. Unde super Matth. XXV. *Nullus, inquit, Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia.* Additque, à Christo ejectos fuisse de templo vendentes & ementes, ut significaret, nullum unquam mercatorem placere Deo posse, intellige, sit turpe lucrum, & illicitam negotiationem sectetur.

s. XVIII. Plura reqvista Ministrorum Ecclesiæ possent recenseri, ratione tam vitæ ac morum, quam donorum

rum Ministrantium. Sed tempore exclusus, filum abrumpo,
Benevolum Lectorem ulterioris indagationis in hac materia
cupidum ad Systemata Theologorum nostrorum
remittens.

SOLI DEO GLORIA.

Ad Clarissimum atque Eruditissimum

Dn. M. JOH. CHRISTIAN.
von Weithoffen.

DE REQVISITIS MINISTRORUM ECCLESIAE
disputantein.

Quâ verbi fidus teneatur lege *Minister*,
Ex Sacris Dictis comprobat hicce labor.
Sic juvat in charta leges proponere, quales
Olim mens didicit, rectaque vita docet.
Sic Suavem Pastor Christi disperget odorem,
Doctrinam faciens sic redolere suam.
Hæc age perveniens MITHOFF ad munia Sancta,
Firmet ad hæc auspex TE facienda Deus!

RINTELII, d. 28. Aprilis
An. 1710.

*Ita Nobilissimo Dn. Mag.
animum gratulandum
explicat*

Dissertationis PRÆSES.



1579

... und die Schilderung der Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels

SCH DO GLORIA

... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels

DE MHO CHRISTIAN

... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels

... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels

... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels

... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels

... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels

... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels

... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels
... und die Erde und des Himmels

ULB Halle
005 475 155

3



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

8

7

6

5

4

3

2

1

8

18
8
1710, 1.
**DISSERTATIO
THEOLOGICA,
DE
REQVISITIS
MINISTRORUM
ECCLESIAE,**

QVAM
PRÆSIDE
JOHANNE KAHLER,
S. S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Prim.
& Mathemat. Ordin.

Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit
I. JOH. CHRISTIANUS von Mithoffen
S. S. Theol. C.

AUCTOR & RESPONDENS
Ad diem 2. Maj. A. O. R. M DCC X.
IN AUDITORIO MAJORI.

RINTELII,
Literis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Univ. Typogr.

